

praeter convenientiam negotii seu personae. «Caveamus, monet »S. Ambrosius (1), ne dum relaxare animum cupimus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quemdam bonorum operum.»

His de virtutibus cardinalibus in genere, et speciatim de virtutibus prudentiae, fortitudinis et temperantiae ex D. Thomae cum Lessio (2) breviter excerptis, ne ipsa multitudo virtutum et vitiorum eis oppositorum, ne multiplices inde actuum humanorum bonorum et malorum species, vel ab ipsis fundamentis theologiae candidatum laterent; gradum facimus ad praecipuas quaestiones de jure et justitia nec non de religione, quarum scholastica inquisitio propter frequentiore earum usum, majorem difficultatem et dignitatem, non visa est praetermittenda. Reliqua hic omissa, pro necessitate et opportunitate, semper ingenti utilitate legantur apud D. Thomam, qui in locis citatis 2.^a 2.^{ae} omnia ad virtutes et vitia spectantia uberrime pertractat.

CAPUT I.

De jure et justitia.

ARTICULUS I.

De natura juris et justitiae.

30. **Praenotandum.** Juris nomen, quod alii a jubendo, alii a justitia et justo derivant, est juxta Toletum (3) nomen primitivum primo significans rerum aequalitatem, ut inde dicatur *justum*, quod habet talem aequalitatem: *justus*, qui eam aequalitatem facit; *justitia*, virtus ad illam aequalitatem inclinans; *judex*, tandem qui illam dicit vel declarat. Jus varie accipitur: 1.^o Late prout potest significare quidquid est honestum ac legitimum; ita omnes virtuosus justus vocantur. 2.^o Pro justo stricte i. e. pro commenso et adaequato juri alterius. 3.^o Pro lege quae est regula justus. Sic est quoddam praeceptum permanens ad bonum commune auctoritate legitima latum et promulgatum. Dividitur in naturale, gentium et positivum. Jus naturale simpliciter dictum, est quod una cum natura rationali nobis est congenitum. Jus positivum sunt leges, quae non necessario naturae congenitae sunt, sed

(1) L. 1 de offic. c. 20, n. 85.—(2) De just. et jur. LL. 1, 3, 4.—(3) In 2, 2, Q. 57.

libere a legislatore quocumque, potestatem habente positae. Jus gentium est, quod receptum est ab omnibus gentibus; vel ut alii dicunt fere ab omnibus gentibus; quia aliquae gentes tam barbarae sunt, ut leges juris gentium dictas non videantur agnoscere. Jus positivum est divinum et humanum. Divinum est quod est a Deo conditum. Jus humanum autem, quod ab homine statutum est: et quidem si est a laico statutum dicitur civile: si vero a Pontificibus vel conciliis, dicitur canonicum. Haec duo jura etiam differunt ex fine: nam jus civile intendit per se salutem civium temporalem, jus canonicum autem dirigit proxime ad cultum divinum et ultimo ad aeternam fidelium beatitudinem. 4.^o Jus dicitur etiam scientia legum; hoc sensu vocantur quidam juris studiosi, doctores, professores juris, etc.; ipsa autem Jurisprudencia dicitur ars aequi et boni. 5.^o Jus significat aliquando locum judicii, sic dicitur quis in jus vocari. 6.^o Sumitur pro sententia judicis, qui dicitur jus dicere.

Jus stricte sumptum supponit in eo, qui habet jus, legitimam facultatem ad aliquid vel agendum, vel omittendum, vel ab alio exigendum; vocatur haec facultas *jus activum*: in eo autem, qui debet reddere vel non impedire jus alterius parit obligationem, quae dicitur *jus passivum formale*, ut distinguatur a *jure passivo objectivo*, quod est ipsa res seu objectum juris v. g. pretium in venditione, quod venditor potest exigere, et emptor debet solvere. Jus activum aliud est in re, aliud ad rem. Jus *in re*, obligat ipsam rem jus habenti, ac proinde parit actionem realem. Jus *ad rem* obligat personam ac proinde parit actionem personalem. Actio est jus prosequendi in judicio quod sibi debetur. Dividitur: a) in realem seu in rem quae dicitur vindicatio, et est quae immediate in rem tendit eique adhaeret; b) In personalem quae immediate tendit in personam, quam ex contractu vel alia ratione obligatam supponit ad rem aliquam tradendam, vel ad quidpiam praestandum. Declaratur exemplo: in equum a te emptum et a venditore traditum, habes actionem realem: in equum a te emptum, sed a venditore non traditum immo alii bonae fidei venditum et traditum, nullam habes actionem, sed habes actionem personalem in venditorem, ut te indemnem reddat (1). Non omnes eodem modo jus activum definiunt, nos cum Lessio (2) et Molina (3) dicimus:

(1) Platelli, De justitia, n. 509.—(2) De just. et jur. l. 2, c. 2, n. 1.—(3) De just. vol. 1, Tract. 2, D. 1.

THESIS I.

Jus activum est potestas legitima ad rem aliquam obtinendam, vel ad aliquam functionem cujus violatio sit injuria.

31. Explicatur, dicitur: 1.^o *Potestas*, quia hoc jus est ens quoddam morale habens se per modum potentiae vel activae vel passivae, (v. g. ut custodiaris) vel restitutivae.

2.^o *Legitima*, i. e. lege aliqua sive naturali, sive positiva divina vel humana, immediate vel mediate concessa; sic excluditur potestas ad malum.

3.^o *Ad obtinendam rem aliquam*, v. g. rem emptam.

4.^o *Vel ad aliquam functionem*, ut ad liberum usum rei suae, aut quasi functionem ut ad possessionem alicujus rei.

5.^o *Cujus violatio sit injuria*, ut excludatur potentia, quam habent creaturae irrationales, ut avis ad volandum, quibus si resistitur, nulla resultat injuria.

Corollarium. Ex hac definitione et explicatione deduces: jus non esse quid physicum, sed morale dumtaxat, competens homini ex aliqua Dei vel hominum ordinatione, vel deputatione vel concessione, sicut esse magistrum, regem, doctorem, militem.

32. Objicies cum P. Lugone (1): Ex his definitionibus non constat adhuc quid sit jus proprie. Prob. Jus definitur per justum seu aequale, et ut cognoscatur de quo justo agatur additur *cujus violatio*, etc. Sed sicut debitum obedientiae non explicares, si diceres cujus violatio inobedientiam constituit. Ergo a pari, etc.

Resp. Neg. *antec.* Ad prob. Conc. *Maj.* Nego vero paritatem *minoris* cum P. Molina (l. c.); nam commodius non possumus exprimere quid sit jus nisi per oppositum seu, ut explicat Lessius (2): «quia injuria nihil est aliud quam alieni juris violatio. »Dicitur autem violari non quando aliquis privatur suo jure; sed »quando jure manente contra illud agitur. Non enim agi potest »contra jus quod non est. Unde quando quis privatur officio, quod »est jus quoddam, non fit ei injuria, nisi in ipso aliud jus maneat »respiciens illud officium: potest enim esse jus ad jus et dominium »juris.» E contra de obedientia cujus debitum directius possumus definire. Certe definitio P. Lugonis de praelatione alicujus circa rem aliquam, non videtur clarior, cum non minoris momenti objectionibus obnoxia sit, ut patebit legenti ipsum Lugonem (3).

(1) De just. D. 1, n. 3.—(2) L. 2, c. 2, n. 3.—(3) D. 1, a n. 5.

SCHOLION I.

De collectionibus juris Romani et Canonici.

33. Ex praenotatis (n. 30 in fine) satis elucet, omne jus passivum ab aliquo jure activo regulari et pendere; jus vero activum cum sit «legitima potestas.» fundandum esse in aliqua lege sive naturali, sive positiva dubitari nequit; cum ipsa notio juris id involvat, et omnium populorum annales testentur, nullam fuisse nationem bene constitutam, quae leges non condiderit, quibus consociatorum jura recognoscerentur, instituerentur et tuerentur. Inter omnes antiquas Respublicas eminebat in jurisprudentia Romana, cujus leges per plura saecula etiam in nationibus christianis viguerunt, eas supponunt et aliquando corrigunt leges canonicae, eas, ut quoddam jus commune, passim juris periti et theologi scholastici citant et commentantur, quare necessarium est theologum vel summarium juris Romani notitiam habere, ut possit illorum opera sine offenculo percurrere. Igitur cum La-Croix (1) dicendum:

1.^o Juris Caesarei, juris civilis romani nomine intelligitur collectio legum, quibus omnes Imperio Romano subjecti dirigebantur ad pacem, tranquillitatem, aliaque commoda temporalia et publica. Caepum est colligi in ordinem circa annum 528 tempore Justiniani Imperatoris. Tota collectio «corpus juris civilis» solet appellari.

2.^o Varie a diversis auctoribus dividitur, commodius in quinque partes: I.^a Sunt Institutiones Justiniani, quae sunt veluti elementa, et compendium totius juris civilis: constantque libris quatuor in suos titulos et paragraphos distributis. Citantur: § *Ferae*, Inst. de *rer. divis.* i. e. paragrapho, qui incipit, *Ferae*, in Institutionibus, titulo «de rerum divisione.»

II.^a Sunt quinquaginta libri pandectarum a πᾶν totum, et δέχομαι contineo, quia continent totum jus: aliter dicuntur Digestum a digerere in partes, seu libri digestorum, collecti jussu Justiniani per triginta et septem juris peritos, quorum tandem sexdecim labore triennali bis mille libros contraxerunt in illos quinquaginta. Primi I-XXIV sunt digestum vetus; sequentes XXV-XXXVIII digestum infortiatum, forte quia continet leges circa testamenta, et ultimas voluntates, quae sunt fortissimae et irrevocabiles: reliqui XXXIX-L digestum novum. Hi libri dividuntur in titulos; tituli in leges: leges, si magnae sint, in paragraphos. Pro digestis fit hoc signum ff. deberet autem esse π graecum, significans pandectas, quod π per celeritatem scribendi et abusum est conversum in ejusmodi duplex ff. Quandoque etiam ponitur D. i. e. digestum. quandoque DD. vel PP. i. e. digesta vel pandectae, unde citatio fit sic: L. *si quis vi*, §. *Differentia*, ff. *de acq. poss.* i. e.

(1) Theol. mor. L. 1, n. 879.

Lege, quae incipit «si quis vi,» paragrapho ejusdem legis, qui incipit «differentia» in digestis, titulo «de acquirenda possessione.»

III.^a Est codex novus seu repetitae praelectionis codicis antiquioris ipsius Justiniani, constans duodecim libris in titulos et leges distributis, quorum tres posteriores quandoque separatim compinguntur, et dicuntur volumen. Pro codice fiunt citationes plerumque per majusculam litteram C; primi novem libri citantur sine addito numero libri, sed in tribus ultimis X-XII additur numerus v. g. L. *In testamento*, C. de *testam.* i. e. Lege, quae incipit «In testamento,» in codice, titulo de testamentis, L. *Omnes profugi*, C. de *agricolis*, lib. 11, i. e. Lege, quae incipit «Omnes profugi» in codice, titulo de agricolis in libro undecimo.

IV.^a Sunt Authenticae seu Novellae, ad quas pertinent, in primis centum sexaginta et octo constitutiones collectae in quadraginta et sex titulos per capita distributos; tituli ad novem collationes sunt redacti: Accedunt Justiniani edicta tredecim, Novellae Justini, constitutiones Leonis, Tiberii, et Justiniani, constitutiones correctoriae Leonis centum supra tredecim et aliae quaedam imperatoriae constitutiones. Citationes sic fiunt. C. *Sed tamen*, auth. seu Nov. 129 de *Samaritis*, col. 9, i. e. capite, quod incipit «Sed tamen» authentica seu novella 129, titulo de Samaritis, collatione 9. Pro edictis Justiniani apponitur littera E et numerus capituli; pro Novellis Justini, litterae N. J. Pro Novellis Leonis litterae N. L. Pro constitutionibus imperatoris C. J.

V.^a Sunt Feudorum consuetudines, quae constat duobus libris in suos titulos ac paragraphos divisas: adjiciuntur constitutiones quaedam Friderici II. Item extravagantes, ac denique liber de pace. Citatio fit hoc modo J. vel Feud. *De prohib. feud. alien.* per Frid. § *Calidis insuper*. i. e. in libris Feudorum, titulo de prohibita feudi alienatione, per Fridericum, paragrapho, qui incipit «calidis insuper (1).»

34. Jam ad «corpus juris canonici» quod attinet notandum: 1.^o Per Jus Canonicum intelligi leges sive regulas recte vivendi (nam *zavov* idem est quod regula) a summis Pontificibus, vel Conciliis constitutae. aut approbatae; aliter vocatur Jus Pontificium, Sacrum, et quandoque, sed late, Divinum, ut habetur cap. *de diversis*, 2, de *priv.* in 6.

2.^o Dividitur in sex partes: I.^a Est decretum Gratiani,

(1) In Hispania jus antiquum *Las Partidas* dictum, a Romano jure est maxima ex parte depromptum; ideo per hoc, illud declaratur et intelligitur, cum declarari indiget. In Catalaunia comitia Barcinonensia (an. 1599) statuerunt deficientiam *juris foralis* suppleendam: 1.^o Jure Canonico. 2.^o Romano. 3.^o DD. sententiis. In Novissimo Codice hispano expresse declaratur art. 12: «En lo demás, las provincias y territorios en que subsiste derecho foral, lo conservarán por ahora en toda su integridad, sin que sufra alteración su actual régimen jurídico, escrito ó consuetudinario por la publicación de este código que regirá tan sólo como derecho supletorio en defecto del que lo sea en cada una de aquellas por sus leyes especiales.»

id est, varia dicta Pontificum, SS. PP. et Conciliorum collecta a Gratiano Monacho Benedictino circa annum 1151. Illud appellavit concordantiam discordantium canonum, magnamque ab ipso initio sibi acquisivit auctoritatem, non tamen authenticam seu juridicam. «nam privata auctoritate, ait Santi (in Praelect. Jur. canon) Gratianus canones collegit et volumen a se confectum» vulgavit, nec ulla edita est constitutio legislatoris supremi in Ecclesia, quae librum illum authenticum reddiderit eumque seu legum codicem ab omnibus haberi jusserit. Tota ergo auctoritas canonum Gratiani intrinseca est, id est revocanda est ad primitivam eorum conditionem, tantique faciendi sunt canones in Decreto quanti valuissent per se etsi in collectione Gratiani non fuissent. Et hoc sensu recipiuntur in scholis et in foro, atque ab ipsis Romanis Pontificibus allegantur. Notandum vero est quosdam canones Gratiani obtinuisse in Ecclesia vim legis. Gregorius XIII vero probavit tantummodo emendationem operis, non vero opus ipsum authenticum reddidit.» Dividitur in tres partes: In parte 1. sunt distinctiones centum et una, quae subdividuntur in suos Canones seu Capitula, et sic citantur, cap. *Placuit* 4, dist. 16, vel sic, dist. 16. *Placuit*, id est, Canone, qui incipit, *Placuit*, et est ordine quartus, in distinctione decima sexta.

In parte 2. sunt 36, causae, quae habent suas quaestiones, et Canones: sic autem citantur. C. *Conquestus* 8, 8, q. 3, id est Canone, qui incipit, *Conquestus*, et est octavus in causa nona, et in hujus causae quaestione 3. Quod si sit ex tractatu de poenitentia, qui inseritur in causae 33, quaestione 3. et habet septem distinctiones, citatio sic fit, C. *Poenitentes*, 10, dist. 3, de *Poenitent.* id est, Canone, qui incipit *Poenitentes*, et est decimus, in distinctione 3 de *Poenitentia*.

In parte 3 agitur de consecratione per quinque distinctiones, quae in suos Canones divisae sunt; sicque fit citatio, C. *Relatum* 11, dist. 2 de *Consecrat.* id est, Canone, qui incipit, *Relatum*, et est undecimus, in distinctione secunda de Consecratione. His subjungi solent quadraginta septem Canones Poenitentiales, qui sic citantur, *Canon. Poenitent.* Item octoginta quatuor Canones, quos Apostolicos vocant, dicunturque collecti per Clementem Papam, et sic citantur, *Canon. Apost.*

II.^a Sunt libri quinque Decretalium, id est Constitutiones, et Epistolae Pontificum jussu Gregorii IX collectae a Sancto Raymundo de Pennafort Ordinis Sancti Domini circa annum 1234, et habent suos titulos, hi autem sua Capitula, et sic citantur, *Damnamus* de *Sum. Trinit.* id est, capite, quod incipit, *Damnamus*, in titulo de Summa Trinitate. Quandoque apponitur *extra*, vel *ex.*, quo significatur, quod sit extra Decretum Gratiani; sed non est opus hoc addi, nam hoc ipso quod nihil addatur, intelligitur esse in libris Decretalium Gregor. IX.

III.^a Est liber sextus Decretalium, auctoritate Bonifacii VIII compilatus circa annum 1297, qui dividitur in alios quinque libros respondentem quinque libris Decretalium. Libri illi dividuntur in suos titulos, et capitula, fit autem citatio, addendo, in 6, verb. grat. C. *Ut super.* 4 de *appel.* in 6. id est, capite quod

incipit: Ut super, et est quartum in titulo de Appellationibus, in libro sexto Decretalium.

IV.^a Sunt Clementinae, id est, Constitutiones partim editae a Clemente V in Concilio Viennensi, partem ejus jussu collectae, et post ejus mortem promulgatae a Joanne XXII circa annum 1317 et dividuntur in quinque libros, hi in titulos, et Capitula: fit autem citatio tantum addendo Clem. verb. grat. C. *Sicut*, de *Appel.* Clem. id est, Capite, quod incipit, Sicut in Titulo de appellatione, in Clementinis; vel sic, Clem. unic. de *rerum permut.* id est, in Constitutione Clementina unica, Titulo, de rerum permutatione; et dicitur unica, quia titulus ille habet unicum Capitulum.

V.^a Sicut Extravagantes Joannis XXII id est, viginti Constitutiones editae a Joanne XXII quae dicuntur Extravagantes, quia vagantur per varias materias, ultra illas, quae in Libris Decretalium habentur; citantur autem addito nomine hujus Papae, v. g. Extrav. *Execrabilis*, Jo. XXII.

VI.^a Sunt Extravagantes, id est, Constitutiones, quae post priora omnia emanarunt a diversis Pontificibus, et dividuntur in quinque libros, hi in titulos, et capita, sicque citantur. Extrav. *Unigenitus* de *Poenit. et remiss.* id est, Extravagante, quae incipit, Unigenitus in titulo de poenitentibus, et remissionibus.

3.^o Decretales Gregorii IX, Bonifacii VIII et Clementis V prout sunt in collectione sunt authenticae et vim legis obtinent, cum Pontifices eas fecerint suas eisque vim legis tribuerint. Decretales extravagantes tam Joannis XXII quam communes, licet fuerint in unum collectae auctoritate privata, «verumtamen, ait Santi (l. c.) eas esse genuinas patet tum ex nomine S. Pontificis, cui unaquaeque inscribitur, tum ex possessione tot saeculorum, ex quibus tam a DD. quam ab ipsis successoribus Romanis Pontificibus, uti authenticae habitae semper sunt. Quare cum certum sit hasce constitutiones a Romanis Pontificibus prodiisse, dicendum est easdem vim legis in Ecclesia obtinere.»

4.^o Cum eodem Santi (l. c.), in Decretalibus «habentur Rubricae, quae nihil aliud sunt quam superscriptiones titulorum, quae generatim exprimunt materiam tituli, ex. gr. titulus de *Constitutione*. Jam vero superscriptiones istae opus sunt B. Raimundi, easque Gregorius IX opus integrum approbans, fecit suas. Ergo authenticae sunt. Distinguendum vero est inter rubricas generales, quae propositionem determinatam non exprimunt, et speciales, quae nempe sensum et perfectam orationem continent. Generalis rubrica est; de *Rescriptis*, de *decimis*, *primitiis* et *oblationibus*, etc. Specialis esset: *ut beneficia sine diminutione conferantur*. L. 3. t. 12. Porro generalis rubrica ex sui natura nullam legem exhibet; non vero idem de speciali dicendum; nam cum sensum completum exprimat, i. e. propositionem praeceptivam vel prohibentem complectatur, servanda est ut verba Legislatoris, et in foro optimo jure allegari potest.» Summaria capitulorum, ut superaddita juri jam approbato a Gregorio IX, carent vi legis; et tantum valent quantum cum capite concordant;

Adduntur denique glossae, quae praebent sententiam privati doctoris non parvae auctoritatis; unde etiam in scholis et judiciis citantur.

5.^o Corpori Juris Canonici aliquando reperitur adjectus liber septimus Decretalium collectus a Petro Matthaei Jurisconsulto Lugdunensi, sed hic liber, prout nunc est editus, non auctoritate publica in Corpus Juris Canonici fuit receptus, licet habeat Constitutiones reipsa obligantes, quales sunt decreta et canones posteriorum Conciliorum usque ad Tridentinum inclusive: item Constitutiones varias aliorum Pontificum: unde eo etiam potest referri totum Bullarium, id est, Volumina, quibus continentur Bullae omnes Pontificum, quamvis vim legis non ideo habeant, nisi aliunde constet esse authenticas, et originali suo conformes. Citatio illius fit, ut libri 6 Decretalium, loco illius in 6 scribendo in 7.

SCHOLION II.

An jus gentium sit naturale vel positivum.

35. Quaestio procedit de jure gentium stricte sumpto prout (n. 30) definitum est, et a theologis communiter accipitur: non de jure gentium a juristis latius sumpto et solum a jure naturali prout est quid commune homini et brutis, condistincto (1). Hoc posito, dicendum est:

Jus gentium esse quasi medium inter jus naturale et positivum.

Nam, non quidem est congenitum naturae, attamen inducitur morali quadam necessitate respectu omnium hominum; v. g. res omnes non esse communes: unde vi hujus necessitatis accedit ad jus naturale; ab hoc tamen differt, quia statuitur libere a legislatore, et per hoc accedit ad jus positivum, cui absolute adnumerandum est. Non enim procedit a jure naturae tamquam aliquid ex natura rei necessarium, sed tamquam aliquid utile et congruens, in quod omnes gentes conveniunt.

Dices: Angelicus (2) docet jus gentium se habere ad naturale «secundum aliquid quod ex ipso sequitur.» Ergo jus gentium est quaedam consequentia seu conclusio juris naturae.

Resp. Cum Eximio (3): «Praecepta juris gentium vocari conclusiones juris naturalis, non absolute et per necessariam illationem, sed comparatione facta ad determinationem juris civilis et privati. Nam in jure civili seu privato fit determinatio vel mere arbitraria, de qua dictum est: quod principi placuit, habet legis vigorem (non tamen sine ratione)... vel certe ubi aliqua specialis ratio intercedit, consideratur in ordine ad particulares, et quasi materiales circumstantias, atque ita est determinatio magis in circumstantiis quam in substantia. At vero in jure gentium praecepta sunt magis generalia, quia in eis consideratur utilitas to-

(1) Disq. III, n. 103, not. I.—(2) 2, 2, Q. 57, ar. 3.—(3) De leg. L. 2, c. 20, n. 2.

»tius naturae, et conformitas ad prima et universalia principia naturae, ideoque vocantur conclusiones ex illis elicidae, quia ex »vi naturalis discursus statim apparet convenientia et moralis utilitas talium praeceptorum, quae homines induxit ad tales mores »introducendos. magis necessitate exigente, quam voluntate.» Nec aliter intelligendus est D. Thomas cum expresse dividat (1) «jus positivum in jus gentium et jus civile.»

THESIS II.

Justitia stricte est virtus qua aliquis constanti et perpetua voluntate, jus suum unicuique tribuit, ab aliis virtutibus distincta.

36. *Nota.* Justitia varie accipitur. 1.º Pro complexione virtutum: 2. Pro charitate seu gratia sanctificante. 3. Pro virtute morali et in hoc sensu nos in praesenti; justitia actualis seu actus justitiae post Ulpianum (2) est: constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. Ex hac autem definitione justitiae actualis sive actus justitiae facile infertur definitio justitiae habitualis quam tradit D. Thomas (3): «Justitia est habitus secundum quem »aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit;» et brevius «virtus moralis jus suum unicuique tribuens.» Thesis est communis Theologorum.

Explicatur et probatur per partes: 1.º est virtus, a) Auctoritate S. Gregorii (4), qui ait, quod «in quatuor virtutibus,» scilicet temperantia, prudentia, fortitudine et justitia, «tota boni »operis structura consurgit.» b) Cum D. Thomas (5): «Virtus »humana est quae bonum reddit actum humanum, et ipsum hominem bonum facit; quod quidem convenit justitiae. Actus enim »hominis bonus redditur ex hoc, quod attingit regulam rationis, »secundum quam humani actus rectificantur. Unde cum justitia »operationes humanas rectificet, manifestum est quod opus hominis bonum reddit; et ut Tullius dicit (6): «ex justitia praecipue »viri boni nominantur;» unde «in ea virtutis splendor est maximus.»

2.º Qua aliquis constanti et perpetua voluntate jus suum cuique tribuit: a) Testimonio S. Ambrosii (7): «Justitia est quae unicuique quod suum est tribuit, »alienum non vindicat; utilitatem propriam negligit, ut communem aequitatem custodiat.» Declaratur ratione D. Thomae (8).

(1) 1, 2, Q. 95, a. 4.—(2) Leg. *Justitia* ff. de *Justi et jur.*—(3) 2, 2, Q. 58, a. 1.—(4) 2 *Mor.* c. 26.—(5) 2, 2, Q. 58, a. 3.—(6) L. 1, de *offic.* in tit. de *justitia.*—(7) De *offic.* L. 1, c. 24.—(8) 2, 2, Q. 58, a. 1.

Virtus definiatur oportet per actum bonum circa propriam materiam virtutis. Sed justitiae proprium est unicuique seu alteri tribuere jus suum, voluntarie, constanter et perpetuo. Ergo... *Min.* prob. Unicuique; quia est ad alterum, aequalitas enim non nisi inter duos potest haberi; voluntarie, etc.; quia qui operatur virtuose debet operari sciens, eligens et immobiliter. Sed hae proprietates non haberentur si voluntate non constanti et perpetua jus suum cuique tribueret. Ergo... *min.* ut in D. Thoma. Nam, «ad hoc quod aliquis actus circa quamcumque materiam sit virtuosus requiritur quod sit voluntarius, et quod sit stabilis et firmus;» aliter, actus esset tantum velleitas, vel tam debilis ut non mereretur virtutis nomine insigniri.

3.º *Distincta.* a) Ibi debet poni specialis virtus, ubi voluntas specialem prosequitur honestatem, ab aliis virtutibus non affectam. Sed ita in justitia. Ergo... b) Sicut dantur virtutes speciales et distinctae quae ordinant hominem quoad se v. g. fortitudo, temperantia, ita debent dari virtutes distinctae, quae illum ordinant ad alterum. Sed inter has est justitia. Ergo...

37. *Corollaria.* I. Objectum materiale justitiae proprium est jus sumptum pro justo stricte. Justitia enim in istud jus directe tendit per se et propter se, ut patet ex definitione. Objectum vero formale, est specialis honestas, aut convenientia cum natura rationali qua tali, elucens in eo, quod ad aequalitatem reddatur, quod unicuique stricti juris obligatione debitum est: nam, objectum formale cujuslibet virtutis moralis est aliqua honestas elucens in ejus objecto (1); sed honestas elucens in objecto justitiae est tribuere unicuique jus suum. Ergo.

II. Subjectum justitiae est voluntas; rectificat enim voluntatis actum (2).

38. *Obj.* 1.º Virtus est habitus. «Sed voluntas nominat potentiam vel etiam actum. Ergo inconvenienter justitia dicitur esse »voluntas;» in definitione Ulpiani communiter admissa.

Resp. Explico *min.* Nominat determinate actum ad definiendum habitum; conc. Praecise ab hoc; neg. in data definitione, «voluntas, ait D. Thomas (3), nominat actum non potentiam. Est »autem consuetum quod apud auctores habitus per actus definiantur; sicut Augustinus dicit (4) quod «fides est credere quod non »vides.»

Obj. 2.º «Omne perpetuum est constans, quia est immutabile. »Superflue ergo utrumque ponitur in definitione justitiae, et perpetuum et constans (5).»

(1) Quaest. praev. Dico I.—(2) D. Thom. 2, 2, Q. 58, a. 4.—(3) *Ibid.* a. 1 ad 1.—(4) In Joan. tr. 79.—(5) D. Thom. 2, 2, Q. 58, a. 1, ad 4.